

(2)

D E D I C A T I O  
COLVMNÆ COCHLIDIS  
TRAIANI CÆS. AVGUSTI

Ad honorem,

S A N C T I P E T R I



C V I A P C S T O L O R V M P R I N C I P I

S. D. N. S I X T V S V. P O N T. M A X.

supra eius Columnæ fastigium Romæ, in Regione MONTIVM,

V B I I L L I V S I M P E R A T O R I S S T A T U S

erecta fuerat, sacram Effigiem ancam constituit:

Deoq. ad summi Apostoli gloriæ et honoris altare dedit IV. Kal. Decembris,  
die Subbetus, anno XI. MDCCLXVIII.

Cuius rei Commentarium,

P. G A L. P R O T. A P Ø S T O L I C V S  
S C R I P S I T.



R O M A, E Typis ap[ud] Vaticana.

DEDICATIO  
COLVMNÆ COCHLIDIS  
TRAIANI CÆS. AVGVSTI

Ad hohorem

S A N C T I P E T R I



CVI APOSTOLORVM PRINCIPPI

S. D. N. S I X T V S V. P O N T. M A X.  
supra eius Columnæ fastigium Romæ, in Regione M O N T I V M,

*P B I I L L I V S I M P E R A T O R I S S T A T U S*  
*erecta fuerat, sacram Effigiem æneam constituit:*

Deoq. ad summi Apostoli gloriam, et venerationem dicavit IV. Kal. Decembri,  
die Sabbato Anno M. D. XXCVII.

Cuius rei Commentarium

P. G A L. P R O T. A P O S T O L I C V S  
S C R I P S I T.



R O M Æ, Ex Typographia Vaticana.

SILVIUS ANTONIANVS

DE STATA V A ÆNEA SANCTI PETRI  
supra Columnam Cochlidem Traiani,  
A SIXTO V. PONTIFICE MAXIMO  
COLLOCATA.

**V**IDES, ut alta Cæsarum fastigia  
Pes pauperum nudus premat?  
Ingens Columna stat locatus ardua  
Petri Colossus areus,  
At suave pondus mox Magistri gentium  
Subire gestit altera,  
Longis Columnæ scutulis superstites  
Fidei Columnas ut ferant.  
O magna Virtus, o Crucis fortissima,  
Et semper inuicta decus.  
Vrbem potentem, tot triumphis nobilem  
Piscator imbellis domat,  
Et qui ferocestrauit olim pralijs  
Dacos, Getasq. barbaros,  
Traianus eidem colla victus subiicit,  
Et Fulcrum inermi accommodat.  
Agnosce Sixto Roma quantum debeas,  
Te mille qui beat modis.  
Secura colles pax tuos perambulat,  
Cornuq. inundans copia,  
Astra & culpas frænat, ast pulcherrima,  
Anteit sorores sanctitas,  
Et prisca Regum edaci erpta tempori  
Monimenta, stulta ab impijs

Gentilitatis expiantur sordibus  
Grata et vicissitudine,  
Deo Deorum, Apostolorum et Principi,  
SIXTO iubente, seruunt.

---

HIERONYMVS BADESIVS ROMANVS  
de eadem.



VR obsoletos Roma Quiritium  
Iactashonores? cur memoras decus,  
Nomenq. iampridem sepulso  
Suppositum cineri tuorum?

Felix Olympo te similem facit  
Delapsus alto SIXTVS ab aethere.  
Hunc verius dic Conditorem,  
Hunc potius venerare Patrem  
Hoc Saxa luci redditia pristinae,  
Dignata sanctum ferre Crucis iubar:  
Hoc montis Aedes Exquilini,  
Hoc tot iter resonat viarum.

Quis nescit undas ordine fornicum  
Longo fluentes? tecta marmore  
Exstructa, qua centum columnis  
Templa solo Laterana surgunt?  
Iam quidquid aui viribus obstitit,  
Aut Barbarorum pertulit impetus,  
Pragestit immortale SIXTI  
Pontificis celebrare nomen.

Sums-

Summis Columnam suspicis orbibus  
Cali propinquam, Principis optimi  
Insculpta Traiani efferentem  
In seriem monumenta rerum?  
Ast hac superbos insuperabilis  
Fastus remisit molis, & ethnicum  
Oblita Traianum, Parentis  
Ingeminat benefacta SIXTI.  
Quod se profani nominis indicem  
Rite expiatam subdiderit Petro,  
Qui Romuli primus nepotes  
Ad superas animauit Arces:  
Iamq. illa tanto munere nobilis  
Spernit triumphos, quos gerit, atraq.  
Tam tristis vltro, si liceret,  
Exueret simulacra pugna.  
Mallet Parentis mirificos Petri  
Præferre mores, sacraq. pralia,  
Palmasq. subiectumq. sanctis  
Tartareum pedibus Tyrannum.  
Sed cum vetustam non faciem queat  
Mutare, gaudet sorte tamen sua,  
Quod possit alma sustinere  
Tam solidam fidei columnam:  
Illiq. magnum, iam sibi charior,  
Stabit trophyum, stabit & illius  
Insigne tot Victoriarum,  
Sacrilegum haud metueps furorem.

Hinc

Hinc summa S I X T I Religio caput  
Sublime celsis nubibus inferet.  
Hinc ultimis longe resulgens  
Littoribus populos vocabit.

I O. F R A N C. B O R D I N V S I. C. P R E S B. R Q M.  
de eadem.

**A** SPICE pro vanis veros, Romane, triumphos,  
Tuq. triumphantem suscipe Roma ducem.  
En, qui Romanas venit piscator ad oras.  
Quiq. Crucis probrum, suppliciumq. tulit:  
Is nunc sublimeis superat Galileius arceis  
Cesaris is pedibus nunc monumenta terit.  
Stipite nam latus verso dum vertice pendet,  
Hac, inquit, nobis est iter ad superos.  
Nunc superis iunctus, superas superare columnas  
Didicit, et nudo subdere regna pede.  
Quod genus hoc belli, quæve hac noua pompa triumphi,  
Imperat occisus, sanguine regna capit?  
Sic vincit, sic exercet sua prælia Christus:  
Exitio vitam, regna cruore parat.

I D E M.

**V** I DERAT infandis urbem S I X T V s monumentis.  
Ornatam vanos usque referre Deos.  
Hinc obelos, atque hinc cochlides iactare columnas,  
Atque virum forti parta trophya manu.

Aut

**S** Aut are ex molli, seu ducta ex marmore signa,  
Seu thermas, arcus, templa, theatra, fora,  
Vidit esq; ingemuit chari pia cura Parentis  
Non lacrymis potuit parcere Pastor amans,  
Non tulit hoc vigilis solers prudentia S I X T I,  
Non tulit hoc pietas, non pietatis amor.  
Ergo altos, dixit, subigens mox crux obeliscos  
Emicet, esq; solis numina prisca fuget.  
Quin et Traiani ingentem, me vindice, molem  
Pauperis ascendant area signa Petri.  
Sic Piscatori cedat Rex maximus Orbis,  
Sic Christo veterum caca supersticio.

G V I L I E L M V S B L A N C V S I V N I O R,  
S I X T I V. C V B I C V L A R I V S I N T I M V S  
de eadem.

**S** N terram capite obuerso, sanctissimus Heros  
Suffigi voluit qui sua membra Crucis:  
Nunc alta impositus, S I X T O mandante, columna  
Aurea conspicuum tollit in astra caput:  
Scilicet ut discant, hac qui monumenta videbunt,  
Se superum ex imo scandere posse locum.



F. ANGELVS CAMERS A ROCCHA  
AVGVSTINIANVS, DOCT. THEOL.  
de eadem.

**B**ELLICA Traiani spectat dum Roma trophyæ,  
Erigit huic Cochlidem, sculpit et historiam.  
**S**IXTVS dum Petri veneratur mille triumphos,  
Erigit huic Statuam, subiicit et Cochlidem.  
Petrus enim Christo generosus vicit ouantes  
Terrarum Reges, tartareosq. Duces:  
Felix hinc merito **S**IXTVS, cognomine Quintus,  
Victori Petro tanta trophyæ dicat.

I D E M

DE S. CHRISTI CRUCE, DEQ. SACRA  
B. Petri Statua ænea: illa in Cæsaris Obelisci, hac vero  
in Traiani Columnæ Cochlidis fastigio,  
A SANCTISS. D. N. SIXTO V. PONT. MAX.  
ERECTIS.

**N**VMINA falsa potens pretioso sanguine Christus  
Abstulit, et lusit sacula vana Iouis:  
**S**IXTVS id exequitur, Christi dum iura tuetur,  
Dum Petri Cymbam tractat, et Imperium:  
Damonibus pulsis, Obeliscum, altamq. Columnam  
Lympha lustrali purgat, et ore sacro.  
Sustinet hæc Statuam Petri, Christi ille Triumphum,  
Traiani hæc perdit, Cæsaris ille decus.  
Successor Petri, Christiq. Vicarius idem,  
Et Christo, et Petro clara trophyæ sacrat.

REVERENDISSIMO  
EPISCOPO NOVARIENSI  
CÆSARI SPETIANO  
APVD REGEM CATHOLICVM  
NVNCIO APOSTOLICO

P. GALE SINIVS PROT. APOSTOLICVS

S. D.



EAE erga amplitudinem tuam  
voluntatis, atque obseruantia  
causas iamdiu cognitas, perspe-  
ctasq. habes: quibus ego sane  
quidem facile ad id sæpenume-  
ro adducor, vt ad te noui aliquid scribam, quod  
præsertim et publicis rationibus expedire, et  
tibi gratum iucundumq. esse intelligo. Romæ  
præclare agitur, **S**I X T O **Q**UINTO Pontifice:  
qui totus in eo est, vt nullum officium præ-  
termittat, quod optari, aut certe sperari possit  
a religiosissimo, ac sanctissimo Pontifice, qui  
A omne

<sup>2</sup> omne studium suum , curamq. confert ad rei Christianæ publicæ dignitatem , ac splendorem . Is labores maximos quotidie, vel potius in dies singulos,singulaq. momenta egregie sustinet . Summa enim quædam , vereq. pontifia virtus in illius animo diuinitus insidet, quæ non sinit eum frangi, nec vero debilitari rerum plurimarum pontificio pondere, quod cum semper graue est, tum in hac temporum difficultum varietate longe grauissimū . Rei Christianæ vniuersę opem fert, saluti omnium succurrit, bonos souet, alit, atque ad dignitates, et honores prouehit: malos ad studium bene agendi non solum virtutum exemplo allicit , sed animaduersionum grauitate: cuius tantam apud omnes opinio nem concitauit, vt etiam qui abdito loco sunt, procul ab oculis omnium , **SIXTI QUINTI** Pontificis nomine ac recordatione, non modo a malefactis , sed a male agendi cogitatione deterreantur. Id plane de tanto Pontifice commemorare libuit, quod profecto de alijs grauissimis viris utiliter annalium monumentis proditum est ad posteritatem . Ecclesiæ autem Dei bene gerendæ ille quidem optimum

<sup>3</sup> mum eum cursum tenet, vt cùm ad catholicam religionem , morum disciplinam , vitæq. sanctitatem omnia dirigat : tum vero urbem Romanam , cuius ornandæ miro desiderio tenetur, proprijs sanctæ religionis Christianæ ornamenti collustrare studeat, singulari erga eam paterna charitate . Cuius rei tibi, ceterisq. omnibus argumento esse possunt acta , quæ de eximiæ illius Columnæ Traiani dedicatione , sacræq. beati Petri Apostolorum Principis statuæ in eius fastigio erectione , tibi in præsenti mitto . Huius quidem sacri spectaculi iucunditate vrbs tota ferme redundans , triumphare , et lætitia gestire videtur . Ad hoc vrbis decus , bene iuuante Deo, aliæ breui accessiones fient ornamentorum, quibus, tamquam proprijs luminibus, illa in dies magis atque magis splendescet. Sed cum plus otij nactus ero, scribam omnia copiosius, vt ea non leuiter adumbrata, sed solide expressa , et quasi ob oculos posita , absens et præclare, & iucunde intuearis. Tu interea vale , daq. operam , quemadmodum soles , vt in ista tui muneris administratione, Pontifici optimo, ergaq. omnes beneficentissimo, cui etiam

ipse plurimum debes, egregiam operam naues.  
Romæ, Idibus Decemb.  
M. D. XXCVII.

C O M M E N T A R I V S -  
D E  
C O L V M N A E C O C H L I D I S  
T R A I A N I C A E S . A V G .  
Dedicatione,  
E T

B E A T I P E T R I A P O S T O L O R V M P R I N C I P I S  
Sacra effigie in eius fastigio erecta.



MNES homines, qui erudit, ac dicendi doctrina exculti, virtutis officijq. voluntate, aut ratione necessaria ad scribendum adducuntur, res potissimum eas litteris mandare, atque illustrare student, in quibus, cum plurima extent et pietatis, et sapientiae, consilijq. impressa vestigia: illarum quidem exempla, ad posteritatem monumentis prodita, in omnemq. ætatem deriuata, nō modo publice, sed priuatim prodesse aliquando possunt. Atque in eo quidem genere, & sunt, & habentur in primis res optimorū principum: qui vel præclaris institutis, ac legibus ciuitates suas ad summam amplitudinem perducunt, vel maximorum artium disciplinis ciues excolunt, vel egregijs ornamentis vrbes decorant, atque augment, vel grauissimis etiā dictis alios, quos parere oportet, aliquo modo semper instruunt. Quamobrem post veteres item illos annalium quasi parentes, nullum pie, recte, atque ex ordine factū, nullum

6 nullum scite, cōmodeq. dictum, ne minimum quidem; silentio præterierunt, quicumque deinceps aut latini, aut græci, aut fortasse barbari, res summorum virorum gestas, eorumq. nomen immortalitati commendarunt. Eam ob rem, cum quæcumque de ijs scripta sunt, in omne æcum propagata, radices in animis legētium fere perpetuo egerint: illud quoque apud omnes nationes, et cunctis propæctatibus perfectum est, ut maximæ ac plurimæ consecutæ sint vtilitates, fructusq. vberissimi ex ipfa confectione historiæ: quæ omnium exemplorum conseruatrix diligētissima, est profecto, sicut ab eloquentiæ magistro didicimus, testis temporum, lux veritatis, vita memoriarum, magistra vitæ, nuncia vetustatis. Nihil porro quidquam vix facile excogitari, nedum dici potest, illarum rerum, in quibus præsertim eximæ pietatis splendor in omnes partes maximus elucet, commemoratione aut ad virtutem sane excitandam præstantius, aut ad officia, quæ præstari oportet, plane exequenda accommodatius. Fuit igitur illud ab initio nascentis vsque Christianæ religionis in more positum, ut res eiusmodi omnes, quascunque in primis Pontifices egissent, in libros, aut in commentarios relatae, posteritati traderentur quam studiosissime. Nec vero huiusc rei, quæ certe diuino consilio suscepta est, cura cuiusvis generis hominibus concredita, sed viris, præstanti pietate, doctrinaq. ornatis, accurate commissa videatur. Iam vero enim in sacrosancta Ecclesia Romana, unde, tamquam ex Apostolico fonte, in reliquias omnes catholicæ fidei dimanauit doctrina ac religio, olim erant Notarij illi septem: quos annalibus sanctorum martyrum conscribendis, alijsq. ecclesiasticis & Pontificijs scriptoribus primum Clemens, deinde Antherus, tum Fabianus,

post

7 post Iulius, postremo Vrbanus, Pontifices maximi præfecerunt. Verum enim uero ego sane, non id mihi sumo, ut tantam scribēdi copiam his temporibus nactus, quantum profecto maximam omnibus eloquentiæ laude clarissimis viris iam nunc S I X T I Q V I N T I Pontificis actiones suppeditant, a me illas, ad omnem sempiternam laudem insignes, enarrari aliquo modo posse putem. Næ hæc quidem tacita animi mei cogitatio, qua res illius gestas sæpe expendere soleo, a scribendo aliquando me deterreret: cum verear, ne in aliquam iustum multorum reprehensionem incurram, qui me profiteri fortasse iudicabunt, quod impar est omnino viribus meis. Sed quia et grati pijq. animi ratione sane necessaria ad suscipiendam hanc scriptiōnem impellor, et multis, quæ mihi ceterisq. omnibus iustissimæ videntur, causis adducor, in iudicium ingenij incidere malo, quam officij, quod sine culpa præterire nullo paecto possum: cum rem maxime eam me præstare intelligam, quæ Deo, ecclesiæ, atque ipsi Pontifici debita, reipublicæ catholicæ profutura est in perpetuum. Nam cum recte aliquo scriptorum genere narrantur consilia, cogitationes, acta, & illæ denique actuosæ, luminosæq. virtutes summorum Pontificum, qui in religione sanctitatem, in morum grauitatem constantiam, in studijs rerum maximarum sapientiam, in christiana publica gubernanda prudentiam, in omni denique officiorum cultu sollicitudinem vere pontificiam adhibuerunt: ea omnis illorum commemoratio cum in primis ad Dei gloriam, tum ad ecclesiæ, non modo ornamentum, sed ad usum, adiumentumq. refertur. Si igitur ingenij mei viribus haudquam assequi potero, quod maximopere me debere sentio: certe illud conabor,

bor, vt ad rem magnam, in qua tam præclara ad beneficij publici amplitudinem accessio fieri potest, omnem laborem, vigilantiam, tempus, & diligentiam adhibeam. Et vero, quamquam habeo satis amplum S I X T I Q U I N T I Pontificis laudum campum, in quo possit excurrere oratio: non digrediar tamen longius, quām oportet, vt ne ego, qui ab omni assentatione abhorreo, sanctissimo Pontifici assentari videar: qui tum virtutum ornamentis, quibus diuine excultus est, tum beneficijs publicis, quæ magnis quasi theatris iam vbiique gentiū proposita, summo bonorum omnium applausu spectantur, mirabilem gloriam orbe terrarum iam sibi et iure, et merito comparauit. At quia recte factorum exempla, quorum laude is florentissimus est, alijs non modo nunc, sed in posterum prodesse possunt ad omnes omnium generum virtutes, commemoranda illa quidem sunt, aliqua saltem honesta ratione, vt omni tempore proposita sint ad imitationem. Aggrediar igitur res eius explicare, non panegyricis, ornatissq. laudationibus, sed historicorum moe veris narrationibus: quas singulas, atque omnes, prout occasio tulerit, recte atque ordine persequi, non erit a suscepti instituti ratione alienum. Superiori proximo anno de Obelisci Vaticani dedicatione, cruceq. in eo erecta scripsi: altera in præsenti consecuta itidem est dedicatio Columnæ Traiani: supra quam, vtpote omni opere præclaro, atque artificio insignem, S I X T V S Pontifex, beati Petri, Apostolorum Principis, effigiem sacram æneam, inau- rataim statui & collocari voluit. Hic non possum non explicate enarrare cum illius consilium, tum consilij ratio nem, & causam: quam nemo est, de Republica catholica bene sentiens, recteq. ad pietatis studia eruditus, quin

sum-

9

summopere dilaudet. Multas habet is comprehensas animo cogitationes, quasi summarum rerum imagines, Pontifice omnino dignas, quæ, operibus expressæ, eius sapientiam aperiunt, ac patefaciunt. Est vrbs Roma, dominus pontificalis dignitatis, sedes Apostolicæ potestatis, arx Christiani imperij, luxq. cunctarum prouinciarum, quæ vbiique gentium sunt in clarissima fidei Christianæ disciplina. Id porro diuinum beneficium est, ab vnigenito Dei Patris filio, Domino nostro Iesu Christo profectum: qui apostolici ordinis Principem Petrum beatissimum ei vrbi præesse voluit, non absque significatione magnorum mysteriorum. Est ergo illa cum omnium, omnibus nominibus, maxime illustris, tum eo potissimum, quod ipsius Petri sacro folio caput totius orbis effecta, latius iam præsidens religione diuina, quām olim terreno dominatu, rempublica Christianam vniuersam, religionis catholicæ auctoritate regit & gubernat. Ad quam summam gloriam, potestatemq. non a Romulo, qui eius mœnia fundauit, prouecta est: sed a Petro ipso, qui diuinitus fidei Christianæ fundamenta sempiterna ieicit: non a Numa Pompilio, qui, Romulo proxime succedens, omnis impuræ superstitionis tenebris illam offudit, sed a Petro, qui Christi euangelij luce cælesti collustrauit: non a Tullo Hostilio, non ab Anco Martio, nec vero a reliquis deinceps Regibus, a quibus collium, modo Quirinalis, modo Auentini, modo Ianiculi, modo aliorum adiectionibus pomerium illius late amplificatum est: sed a Petro, qui longe maiorem accessionem attulit ad illius amplitudinem. Testis est Asia, testis Africa, testis Europa: in cuius partes Roma vrbs, quæ tunc pri mun exquis finibus continebatur, latissime quasi diffusa vide.

B

sa videtur, cum inde, tamquam e capite, Romana fides, ab Apostolico ore deriuata, iam profluxerit ac dimanarit ad omnem terrarum orbem. Romæ igitur parens Petrus: Romæ, vrbis æternæ, architectus Petrus: Romæ verus propagator, amplifier, et propugnator Petrus. Eam Romulus muris lapidcis: at Petrus firmissimo fidei fundamento condidit, ac muniuit. Commemorant annalium monumenta, quæ sæpe varijs afflictissimisq. temporibus influentes in Italiam barbararum nationum maximæ copiæ Romuli vrbem diuexarint, diripuerint, et pene exciderint: at ciuitatem, quam Petrus sanctissimus fide instruxit, nimirum ecclesiam Romanam, ne labefactari quidem, nedum cuerti vllis vñquam hostium vel importunissimorum conatibus potuisse, litteris et latinis, et græcis proditum est. Portæ inferi non præualebunt aduersus eam, inquit Christus Dominus: Ego pro te, Petre, oraui, alio loco ait, ne deficiat fides tua. Quæ sæpe, cum temporum memoriam replicamus, Romanam ipsam, quam scilicet Romulus extruxit, inimicorum impetu perculsam, belli offensione prostratam, oculis cernimus? quæ sæpe labentem, diuexatam, propeq. depositam lugemus? At vero illam ipsam, a Christo Domino fundatam ciuitatem super fidem Petri, etsi temperatibus varie agitatā, tamen diuina ope e fluctibus emersam, ita aspicimus, vt cum antiquitas olim viderit, tum etiam nos hoc tempore felicem, beatam, florentem illam ipsam intueamur: pro cuius salute, incolumitateq. assidue pugnat precibus ipse Petrus, verus illius conditor, verus pater, pugnatorq. perpetuus. Soleo sæpe mecum illos ecclesiæ catholicæ Romanæ hostes animo repetere. Nemo certe ei bellum vñquam indixit, cuius interitus,

exi-

exitusq. non fuerit teterrimus: cum tanti valeant precum arma, quibus pro ea Petrus idem pugnat. Non conuelli, non labefactari potuit vñquam fides Romana, beati Petri munera præsidij. Iam ab initio fere nascentis religionis, hostes, impietatis telis instructi, nihil tunc sane non egerunt, vt vel in ipsa vrbe Roma, vbi ipse etiam Apostolorum princeps fidem disseminarat, eius obrueretur seminarium. Quid enim in eius cultores ac defensores Nero-ne crudelius? Domitiano atrocius? Diocletiano tetrius? vt omittam Traianum, Septimum, Maximinum, Decium, et Valerianum: quibus imperantibus, nihil nisi crudele, nihil nisi atrox, ac portenti simile contra fidei Apostolicæ propugnatores est tum cogitatum, tum actum certe. At nulla quidem suppliciorum acerbitate, nullis impijs gladijs, nullis sceleratorum hominum concursationibus nec furoribus vllis, quasi tribunitijs, ad id vñquam ventum est, vt religionis Christianæ præcepta, Apostolicis vocibus tradita, ex nostrorum animis delerentur. Tantam sane vim, atque robur illius defensioni attulerūt apostolicæ sanctorum Petri et Pauli preces cælestes, vt pugnantium virtus, de gradu suo numquam pulsa, non tormentorum ictibus, non machinis, non veteratorijs fraudibus fracta sit: verum, quò vehementius oppugnata, hoc firmius roborata, atque diuino in primis auxilio magistatque magis confirmata, exultantem aduersariorum furorem contuderit, contumaciam refutarit, audaciam fregerit, vicerit, superarit. At postea quam hac non successit, vt hostibus vel maxime oppugnantibus, detrimentum Christianæ religioni, præsertim Romæ importaretur: alia aggressus est viam accerrimus ille quidem, et sempiternus salutis humanæ hostis: remq. perniciosissimam induxit,

B 2 pestem

pestem scilicet hæretorum: qui, obiecto quodam falso glorię splendore, præcipites eo agerentur, ut ipsi pararent, cogitarent, meditarentur, scriberent, atque in vulgus eas res ponerent, quarum quidem quasi funesta face incendium in religione fideq. catholica Romana excitaretur maximum. Hoc certe præpostero, atque ad impie agendum obstinato obfirmatoq. animo Nouatianos, hoc Arios, hoc Manichæos, hoc Pelagios, hoc reliquos eiusmodi inimicos in ecclesiam inuasisse legimus. Ac præterea, quod maxime formidolosum, et horribile fuit, istiusmodi veterum hæresum factiōnumq. duces, non modo nationum exterarum, immanitate barbararum, quæ male agendi cupidæ in primis erant, cohortem quasi prætoriam habebant: sed Imperatorum, ac Principum sibi subfidiū comparabant, quorum opibus & potentia se hæresimq. suam tuebantur. Potentissimus mihi fuisse videtur Arius, popularis Dioscorus, gratiosus Nestorius, omnesq. denique isti ecclesiæ Dei hostes, apud aliquos saltem homines, rerum nouarum studiosos, qui turbulenti illis motibus incitati, omnia per summum impietatis scelus euertere conabantur, non parum valuerunt, cum illorum detestanda vis omnis eo spectaret, ut fidei catholicæ tollerentur et fundamenta, et ornamenta. Verum Deo iuuante, viæta est aduersiorum audacia, et ita viæta, et usque adeo superata, ut eorum vestigijs omnibus, quæ ad sempiternam memoriam tunc fixa putabantur, omnino sublatis, sancta ecclesia catholica Romana, cuius fidēs, Apostolico ore tradita, apostolicoq. ore laudata vehementer oppugnabatur, cœlesti etiam apostolico defensa patrocinio, ab eorum perturbationibus incolmis, atque ab omni periculo, quod à tanta illorum tempesta-

te gra-

te grauissimum impendebat, sarta tecta usquequaque conseruata sit diuinitus. Maxima hæc quidem est, ac sane præcipua erga ipsam ecclesiam, diuina Christi Domini benignitas: et vero Petri, Apostolorum principis, supra quem illa ædificata est, precibus patrocinioq. cœlesti pro ea pugnantis, defensio singularis. Illa si quidem omnium ecclesiarum caput, religionisq. catholicæ firmamentum, fere semper varie oppugnata est: at in omni varietate, omniq. conatu expugnata numquam. Tu es Petrus, & super hanc petram, inquit Dominus, ædificabo ecclesiam meam: et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Hic locus esset commemorandi ceteras ecclesias, quas alij Apostoli ædificarunt: sed non est, cur iam reipublicæ Christianæ vulnera refricem, exagitemq. dolorem publicum. Nemo est enim, à pietate ita auersus, quin intime doleat, Constantinopolitanæ, Antiochenæ, Alexandrinæ, Hierosolymitanæq. ecclesiæ statum: quem iam miserrimum esse, omnes sentimus non sine acerbissimo animi dolore. Salua autem est ecclesia Romana, quam propterea æternam etiam scriptores ethnici dicunt: salua est illa scilicet, cui imperium sine fine est datum, ait poeta, quadam animi præsensione. Latius enim vrbs Roma præsidet religione, inquit Leo magnus, quam terrena dominatione: idq. Petri sanctissimi apostolico munere. Hæc vero omnia, ut demum breui complestar, cui Roma debet? Romulo, an Petro? huic, analijs deinceps regibus? huic, an alijs cuiuscunque ordinis viris? huic certe quidem, cui Christus Dominus dixit: Tibi dabo claves regni cœlorum: et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum et in cælis: et quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.

Huic

Huic certe quidem, cui itidem dixit: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Huic certe quidem: cui semel, iterum, ac tertium dixit: Pasce oves meas. Huic sane, qui ab ea iugum superstitionis idolorum depulit. Huic certe, qui martyrio suo eam consecravit, non illi, qui fraterna cæde inquinauit. Diuinæ igitur benignitatis abundantia sunt profecto multa, quæ ab Apostolorum principe Petro, vrbs Roma, vero eius parente, veroq. pastore, et propugnatore perpetuo accepit beneficia, et illa quidem salutaria ac maxima, maximeq. omnibus æstatum sæclis prædicanda, non sine egregia cælestis etiam beneficij laudatione. Quamobrem ad omnia summa natus S I X T V S Q V I N T V S, Pontifex Maximus, alta diuinaq. animi vi prædictus, cum omnia consilia, studiaq. sua ad ecclesiæ vniuersæ, sibi commissæ, salutem, dignitatem, amplitudinem, et gloriam conferat, tum vero eam cogitationem, solicitudinem, atque curam impense suscepit, vt urbem Romam, Apostolicæ auctoritatis sedem, ecclesiarum omnium matrem, ecclesiasticarum disciplinarum magistrum, religionis catholicæ arcem, dignitatum omnium parentem, legum sanctarum seminarium, institutorum optimorum domicilium, virtutum Christianarum templum sanctissimum, ac nationum omnium patriam, gratiarum cælestium vertate affluentem, potissimum illustret, ornamentis ad propriam tantæ vrbis laudem insignibus. Atque in ijs quidem omnibus nihil ad illius decus præstantius, nihil ad veteris Romanæ Christianæ pietatis lumen illustrius, nihil ad studium exterarum gentium, religionis causa peregrinantium, aptius, nihil ad fidei catholicæ hostium audaciam retundendam vehementius esse potest, nihilq. magis expedit

pedit ad diuturnitatem pontificiæ gloriæ, quam vt in ania, prophanaq. trophæa, ac monimenta, veteresq. istiusmodi extructiones, quæ innumeræ in vrbe sunt, quæ vel superstitioni cultus speciem, vel imperij Romani reiq. publicæ Romanæ pomparam, sæpen numero a christiano cultu alienam, præ se ferunt, ad usum transferantur declarandæ testificandæq. christianæ, tum religionis, tum disciplinæ. Atque in id ipsum quidem accenso studio incubuerunt cum fere cuncti Pontifices, tum maxime, Marcus, Silvester, Iulius, Damasus, Zacharias, Felix Tertius, Leo Magnus, Sixtus Tertius, Gregorius Primus, Bonifacius Quartus, Adrianus Primus, Leo Tertius, et plerique omnes, quorum memoria est in benedictione. Iam sane vero non modo templis, sed alijs operibus, quæ vel ab idolorum cultu, vel a prophenorū spectaculorum vsu, vel a triumphorū pompa illi ad Christianæ religionis splendorē conuerterunt, extruendis, atque adeo instaurandis, pietatiseorum monimenta in vrbe extant, atque eminent, usque adeo vt veterum multarum substructionum vix nomen, nedum vestigium plerisque locis ullum appareat. Basilica, a Damaso Pontifice extructa, hodie beati Laurentij martyris nomine illustris cernitur, vbi olim theatrum Pompeio fuit: vbi eiusdem triumphus de regibus Mithridate, et Tigrane, de Asia, Ponto, Armenia, de Iudeis, Schytis, ceterisq. nationibus, quas multas deuicit, iam aspicitur amplissimum sanctæ Mariæ Virginis, Dei genitricis templum, quod supra Mineruam vocant. Vbi olim Pallaturæ, nunc ecclesia sancti Marci Evangelistæ, quam Marcus Pontifex ædificauit. Vbi Pantheon quondam, nunc sane templum a Bonifacio Quarto consecratum nomine sanctæ Mariæ ad Martyres. Nec vero fin-

singula commemoranda sunt, ne rem longiorem faciam, quām oportet, cum præsertim pleraque in vulgus nota sint ex eorum industria, qui rerum Romanarum commentarijs, accurate scriptis, profitentur se esse diligentissimos illarum antiquitatis indagatores. Illud tantum vniuersc dicam, Pontificum vigilantia omnes vrbis partes, quæcumque olim, stante republica, fuerant, ad ecclesiæ Romanæ gerendæ rationem vsumq. fuisse conuersas: cum non solum in illis Romæ regionibus quatuordecim regionarios et diaconos, et notarios, certumq. clerum instituerint: sed in vicis, qui regionatim vario numero distincti erant, et in singulis montibus septem, prout vetus vrbis partitio erat, basilicas, templa, sacras ædes, titulos, ecclesiæ stationales, aliaq. pietatis christianæ monimenta impense curarint: vt vrbs, quæ beatorum Apostolorum, Petri et Pauli trophæis, innumerabiliumq. martyrum victorijs excitata, clarissimum religiosis ac fidei christianæ lumen toto terrarum orbi præ se ferebat, effet forma ac spes plane ab ea dissimilis, quam ipsa superstitionis idolorum nocte tenebrisq. olim offusa, in summo dominatu exhibuit. Hæc Pontificum sollicitudo fuit, hæc eorum virtus, hæc constantia perpetua: quæ omnino consentiens, cum suscepta pontifica dignitate, laudes illis peperit sempiternas. Eodem studio datus, eodemq. animi ardore inflammatus ad pium vrbis ornatum Pontifex Sixtvs Qvintvs, non modo regionem decimam quartam, quæ esse desierat, renouauit ac restituit, eamq. ob rei ex veteri sanctæ ecclesiæ Romanæ instituto Diaconos Cardinales etiam quatuordecim esse præclara constitutione sua voluit: verum iam pridem ab initio pontificatus cum obeliscos, columnas, ceteraq. id gene-

generis profana olim monimenta excitare statuit ad pie-tatis christianæ cultum. Est sane consilium, in quo omnes admirantur et illius præstantem animi magnitudinem, et pietatem vere pontificiam, et eiusdem suscepiti ratione consilij sapientiam. Tanta enim semper fuit vnius cuiusque obelisci moles, tanta erigendi illius difficultas, ac tantus, tamq. immensus in re perficienda sumptus, vt, qui præcesserant Pontifices, partim ne cogitarint quidem, partim si quam cogitationem susceperant, omni sane consultatione et a proposito dimoti, et a difficultate sumptuosoq. opere deterriti, nihil in tam longo temporis cursu perfecerunt. At quod alij ne inchoare quidem ausi sunt, ne dum perficere: Sixtvs Qvintvs summa animi virtute inchoauit, maxima pietate perfecit, omnibus regionibus absoluit. Qua de re tota in superiori commentario, quem de Obelisci Vaticani dedicatione iam proximo anno edidi, est a me narratum, vt potui, vberri-me. Et vero quæ illius virtutes in obeliscorum opere apparent, ille ipse etiam elucent in eo, quod in presenti præststit, de sollemni columnæ Traiani dedicatione, sacraq. supra illam erecta beati Petri Apostolorum principis effigie ænea. Floruerunt gloria quidem Pontifices, quos paulo ante commemorauit: sed ijs haud quaquam inferior esse potest, nec certe quidem debet Sixtvs Qvintvs, qui eorum laudibus laudem hanc pontificiam adiecit, quod Cæsarum, Imperatorumq. trophæa, quæ eximia putantur, insignia esse voluit monimenta atque ornamen-ta non modo Apostolicorum meritorum, sed Christianæ Romanæ pietatis. Merito est igitur, ac iure optimo clerus populusq. fere vniuersus immortali gaudio perfusus, cum præcellentem animi magnitudinem Pontificis in eo cer-

neret, quòd rem, ne excogitatam quidem ab ijs vlo vñ-  
quam tempore, is tam breui, tam constanter, tam sapien-  
ter, ac pie ab imaginum profanarum spectaculo transtu-  
lisset, cum ad sacram beati Petri, Apostolorum principis  
effigiem colédam, tum ad eius salutarium laborum, quos  
pro ecclesia Dei sustinuit, præclariq. martyrij memoriam,  
quo triumphum de Nerone, Simone Mago, ceterisq. cru-  
cis Christi hostibus reportauit. Hoc igitur trophæum,  
tamquam insigne, ac splendidissimum summorum cæle-  
stiumq. beneficiorum monumentum, beatissimo Petro,  
Dei Vicario, Apostolorum Principi, gregis Dominici  
pastori, atque Duci, ecclesiæ catholicæ Romanæ parenti,  
patrono, propugnatoriq. **SIXTVS QVINTVS** Pontifex  
constituit: constituit autem Romæ, nimirum in vrbe, vbi  
olim, vetus ille ecclesiæ scriptor Caius, ego, inquit, habeo  
trophæa Apostolorum, quæ ostendam. Paulus enim san-  
ctissimus, fide et charitate cum eo coniunctissimus, uno  
eodemq. tempore coronatus est, vt ea de re alio libro te-  
stimonium Dionysij Corinthij, qui annis post eorū mar-  
tyrium centum floruit, pluribus dicam. Hic ergo stu-  
dium, hic cogitationem, hic curam suam pontifex de-  
fixit, vt vetus renouaret exemplum, quod necessario hoc  
rei christianæ publicæ tempore opportunissimum vide-  
tur. Nec vero illud sane is posuit, cuiusdam opinionis lau-  
de ductus, nec populari vlo studio excitatus, quo res  
suas principes viri aliquando metiri solent, neque inani  
ac fluxa gloria impulsus, a cuius pestilentि labe omnes  
Christi optimi maximi voce deterremur: sed plane com-  
motus, singulari religiosi animi sui incitatione, et incre-  
dibili quodam ardore accensus sanctæ solicitudinis at-  
que adeo pietatis: quam in re ipsa tum inchoanda, tum  
per-

perficienda tantam quidem præstitit, quantam certe ma-  
ximam excelsi pontificijq. animi virtutem, eum præsti-  
tisse, mox declaraui. Suspiciunt merito omnes tam com-  
memorabilis pietatis officium, ac studium: quo ad opti-  
ma quæque mirabilem in modum exardescit. Verum iam  
expendenda sunt grauissima illa momenta rationum, qui-  
bus pontifex adductus, in rei, quam perfecit, deliberatio-  
ne in venit. Quamquam igitur primum exposui causas ali-  
quas, ex quibus consilij ab eo suscepit rationes intelligi  
facile possunt: nihilominus tamen ad eas ipsas aliæ ad-  
iungantur necesse est, quo dilucidius explicata sit tota  
rei narratio. Vix dici potest, quantum ad eorum, qui a-  
pertos se hostes sanctæ ecclesiæ Romanæ, et catholicæ  
religionis profitentur, projectam audaciam retunden-  
dam quodam modo valeat sacra illa in columnæ Traia-  
ni fastigio erecta nuper effigies beati Petri, Apostolo-  
rum principis. Audent quidam hæretici, qui in Vuicle-  
phi errore versantur, vt ore impudentissimo sunt, præ-  
cise negare, ipsum Petrum ad vrbem vñquam aduen-  
tasse, ibiq. martyrium obijisse. Hoc tam perspicue fal-  
sum est, quām quod falsissimum. Est enim contra pla-  
ne traditum omnium scriptorum litteris, neque solum  
latine, et græce, sed hebraice, syre, atque arabice: om-  
niumq. pene gentium sermone significatum est, om-  
niumq. principum voluntatis optimæ erga sedem Ro-  
manam testificatione declaratū, ac plane demonstratum,  
tam innumerabilium omnis generis, loci, ordinisq. ho-  
minum, ex toto terrarum orbe Romam religionis causa  
confluentium concursu. Hæc ipsa effigies quid aliud  
ostendit? quid aliud indicat? quid testatur? quid quasi  
testis loquitur? an non illud idem, quod omnium

summa firmatum est consensione, beatum Petrum in urbe Roma fuisse? multos annos pontificatum gestisse? deuicto publice Simone Mago, superatoq. Nerone, martyrij palmam tulisse? Hæc sane omnia palam præ se fert trophæum hoc erëctum, hæc plane mens, hic sensus sacræ imaginis quasi loquentis. Sed ad rei, qua de agitur, præclaræ significationem pluribus dicendum est. Noluerunt, vt rem totam Theodoritus græce luculenter narrat, neque Aethyopes, neque multæ Ismaelicæ nationes, non Lagi, non Sanni, non aliæ plurimæ barbaræ gentes, Romanorum virtute deuictæ, legibus vñquam Romanis vti: at Apostolica virtus vniuerso terrarum orbi legem Euangeliū tulit: nec vero solum Romanos, sed Schytas, Sauromatas, Indos, Persas, Hircanos, Cymmerios, Galatas, Bythinios, Cappadocas, Germanos, Britannos, et, vt summatim dicam, omnes gentes, omneq. hominum genus induxit, vt Christi crucifixi leges acciperent. Sacer hic triumphus, Apostolorum Principi excitatus, an non hoc ipsum demonstrat? Et vero Traianus, cui olim hæc columna erecta fuit, cum Persarum regnum euertisset, et nationes alias in ditionem Romanam subiunxit: non potuit efficere tamen, vt legibus viuerent Romanis. Leges autem nouas cum accepissent a promulgatoribus Galilæis, sese vltro sponteq. Christi crucifixi regno subiecerunt. Est sane igitur, cur eam ob rem etiam beato Petro potissimum, Apostolorum Principi, homini Galilæo, ipsa Traiani columna dicaretur. Verum enim uero silentio res prætereunda non est, quæ maxime commemorabilis, diuinio facta est plane consilio. Etenim semper terti i illi ecclesiæ Dei hostes, Nero, Domitianus, Diocletianus, Maximianus, Traianus, Gallienus, Decius, et reliqui isti,

isti, qui rei Christianæ summam conuellere gladiatorio quodam animo studuerunt, nihil non moliti sunt, vt rerum gestarum gloriam illam inanem, quæ omnium malorum perniciosum seminarium est, ad diuturnitatem propagarent insanis illis substrictionibus, cuiusmodi sunt theatra, amphitheatra, thermæ, circus, obelisci, mausolæa, arcus triumphales, columnæ, trophæa, et istiusmodi generis opera, quæ immensa, vel immani potius pecunia parantur, & conficiuntur. At prouidentia Dei omnipotentis, qui impiorum hominum conatus irritos facit, vsque adeo eorum monimenta dissipata, ac diruta, exturbataq. sunt, vt vestigia illorum aut nulla appareant, aut certe, si qua extant, sanctis Apostolis, Petro, Paulo, Andreæ, Ioanni, Thomæ, Bartholomæo, ceterisq. Apostolici ordinis, vel beatis martyribus, Stephano, Laurentio, Marcello, Sergio, Mauricio, alijsq. sanctis dedicata sint, et consecrata. Diuine igitur facit Sixtvs, Quintvs, æterna memoria dignissimus, vt quæ a ruina parietinisq. integra sunt, vindicet ad religiosum pietatis christianæ cultum: illiusq. veteris prophætæ pompæ loco fint ornamenta rerum diuinarum atque actionum, quæ pro Christi Iesu gloria, pro religione, operibus Euangeliū fortiter, ac sancte suscepitæ, et gestæ sunt. Hoc autem impensius quotidie, vel potius in dies singulos curat, atque efficit, quòd omnium sapientissime intelligit, quos pro Christi fide misere varieq. cruciatos, aut in summa rerum humanarum despicientia vsu vitæ sanctæ exercitatos, spreuerat mundus pro nihiloq. putarat, eorum nomine voluisse Deum templa, delubraq. augustissima ac monumenta constitui ac consecrari, operibus Imperatorum, barbara immanitate oppugnantium, penitus excisis

excisis, quæ ingentia multorum operum ad omnem perpetuitatem extructa putabantur. Nullum hoc tempore Palatium Neronis, nullum Diocletiani, nullum Decij: nullus Neronis circus, nullus Alexandri, nullus Caracalla: Thermæ Neronis dirutæ, thermæ Diocletiani pene excisæ, thermæ Decij disturbatae ac reliquorum euersæ. At vero Petri beatissimi basilicæ, augusto opere erectæ, Pauli itidem ædesq. sacræ, et templa aliorum sanctorum sanctorumq. Dei. Atque in ijs quidem causis erigendæ beati Petri sacræ statuæ, dedicandæq. Columnæ Traiani, ad illius vsum, atque ornatum, etsi illas sane iam multas attuli, quibus optimi pontificis et consilium significatum, et declarata est sapientia, qua ipse mirifice excellit: sunt tamen aliæ etiam complures, quas aliqua orationis vertate explicare, non alienum putaui. Est enim hoc singulare ornementum, quo urbem S ix t v s Q vi n t v s Pontifex ornauit, decorauit, et collustrauit: est beneficium clarissimum, quod, per se splendescens, etiam in tenebris elucet: est maximum suæ erga Romanam pietatis pignus, quod vndeque splendidissimum, nullis sorribus obsordescere vñquam potest. In summa igitur columna erigitur beati Petri imago. Hic multa spectantur, in quibus vera, et illa quidem iucundissima laus virtutum pontificis eminet: sed ea tacita relinquo, quoniam non ille profecto captat hominum plausus, sed consulit hominum saluti. Itaque narrando progrediar ad ea, in quibus cursus esse debet suscepctæ scriptio[n]is meæ. Iam inde usque a nascentis religionis nostræ initio beatum Petrum, cum in urbe fuit, Romani Christiani venerazione magna coluerunt. Cum autem metuerent, ne Christianæ religionis hostis Nero, vehementer nimis

sce-

scelerati Simonis Magi casum dolens, ei necem inferret, id singularis amoris, quo homines affici solent, signum dederunt, vt illacrymantes omnes ab eo peterent, nè se tyranni, immanitate barbari, furoribus obijceret. Quanto autem, et quam pio venerationis officio illum capite inuerso cruci affixum, prosecuti sint, annales, tabulae q. ecclesiasticae loquuntur. Et vero ut in eorum animis fixa inhereret memoria cum illius sancte factorum, tum cultus, quo venerarentur: iam inde fere primum institutum est, tum ipsius, et Pauli, tum in primis Christi Domini salvatoris imagines sacras pingi, quarum illi fuerunt religiosissimi cultores. Ad excitandam igitur veterem pietatem, ab Apostolicis usque temporibus deriuatam, quam crucis Christi, et ecclesiæ catholicæ Romanæ hostes Iudæi, Samaritani, Mahometani, atque heretici manifeste oppugnant, voluit S ix t v s Q vi n t v s, magnis sapientiae opibus affluens, impense id curare, ut in foro tam celebri, quemadmodum mox cōmemorabo, supra eximiam, excelsamq. Traiani Columnam, et illam quidem pijs precibus rite ex ecclesiæ præscripto expiatam, sacra beati Petri effigies collocaretur. Hæc ipsa per se loquitur: et tamquam de loco sublimi omnes instruit ad cultum, quem sacris imaginibus pie tribui docuerunt sacrarum litterarum monumenta, sanctorum Pontificum, Gregorij in primis, Adriani, aliorumq. instituta, cœcumenicarum synodorum decreta, Patrum cum latinoru[m], tum græcorum documenta, et ecclesiæ denique vniuersæ cōsenfus summus, diuinis virtutibus, Spiritu sancto magistro, conne[x]us. Et quoniam perspicue manifestum est, rerum gestaru[m] memoriā ex imaginum inspectione etiam renouari, eamq. ob rem Apostolicis traditionibus maiores docuerunt, ubique

vbiue crucis signum exprimi , vt Christi Domini paſſionis memores ſemper eſſemus : ideo iuſtissima quoque ratione , in omnium oculis poſita eſt illa beati Petri ima- go , plena pietatis , et eminens effigies virtutum Apoſto- licarū . Hic cernamus licet pontificis diuinaſ eximiamq. ſapienſiam : qui quaſi in vno hoc publico , tamquam in foro ampliſſimo , conſpectu collocauit tam magnam , tamq. præclarām rerum ſupellec̄tilem , quas diuinitus geſtas , ſempiterna gloria celebratas , et ad posteritatē monimentis prodiſas , ſæpenumero grata piaq. memoria omnes profequi debemus . Hic porro quidem cælum et terra , quaſi gaudio geſtiens , intueri videtur magnum vr- bis Romæ decus , egregiumq. ornementum . Hic omnes , quicumque in omni ætate conuenient , inſpecta effigie , ita præclare loco excelfo coniuita , pie beatum Petrum colendo ac venerando , ſeſe in omnes partes diuinarum eius virtutum recordatione excitabunt , cum ad religio- nem , tum ad laudum , quibus ille affluit , cumulum . Quid Petro maius ? inquit Chryſoſtomus . En hic Petrus , cuius imago ſancta ſpectatur , Apoſtolus a Christo Domino ho- noratus , primus Filij Dei confessor , Dei Vicarius , Apo- ſtolorum princeps , dux et antefignanus , ecclesiæ vniuer- ſæ rector et gubernator , orthodoxæ fidei magiſter ac do- tor , cæleſtis regni ianitor , in terreno iudicio iudex cæli . Is eſt , qui regibus potentior , gentes immanitate barba- ras ſuperauit : qui , philoſophis ſapienſior , eorum do- trinas euertit : qui oratoriſbus eloquentior , Iudæorum ſenatum , et populi multitudinem conturbauit : qui im- piarum gentium motus compressit , nationes ſanguine cædeq. hominum paſtas , furore præcipites , ad Christia- naſ disciplinam erudiuit : qui animos , perturbationibus effer-

efferuſcentes ſedauit : qui terrā omneſ , mareq. luſtrando , ſub Christi regnum terrarum orbem ſubiunxit : et ve- ro omnes candida vefe , nempe baptiſmo , induit , qui et a lege , et a gratia nudi erant . Romam autem profectus , pietatis Christianæ , diuinarumq. virtutum ſemina iecit , ſcelerum fibras conuulſit : ecclesiæq. catholicæ funda- menta firmiſſima poſuit : ac Simonem Magum , temere atque adeo impie exultantem , non modo coercuit , ſed expugnauit omnino . In crucei autem pro Christi glo- ria actus , cum orbi terrarum inſignem eximiamq. ope- ram nauaffet , vrbem Romam martyrio ſuo confeſcavit : nec vero in ipſo crucis ſupplicio deſtitit , oues ſibi com- miſſas multis verbis Christo Domino commendare . Iam uero demum cognitæ ſunt cauſæ , et rationes , quamob- rem tam pie , tam religioſe , et ſapienter Sixtvs Quin- tvs Pontifex , præclarissimum trophæum beatiſſimo Pe- tro dedicari voluit . Verum quo illuſtriores illæ quidem ſint : Leonem Magnum , æternæ memoriae Pontificem , omni eloquentiæ vberitate ita dicentem in medium pro- ferimus . Cum duodecim Apoſtoli , accepta per Spiritum ſanctum locutione linguarum , imbuendum Euangeliō mundum , diſtributis ſibi terrarum partibus , ſuſcepiffent : beatiſſimus Petrus , princeps Apoſtoli ci ordinis , ad ar- cem Romani deſtinatur imperij : vt lux veritatis , quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem , efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet . Cuius autem nationis homines in hac vrbē non eſſent , aut quæ vſquam gentes ignorarent , quæ Roma didiſſet ? Hic conculcandæ philoſophiæ opiniones , hic diſſoluendæ erant terrenæ ſapienſiæ vanitates : hic conſutandi dæ- monum culus , hic omnium ſacrilegiorum impietas de- D ſtruenda

struenda, vbi diligentissima superstitione habebatur collectum, quidquid vñquam fuerat vanis erroribus institutum. Ad hanc ergo urbem tu, beatissime Apostole Petre, venire non metuis, et conforte gloriæ tuæ Paulo Apostolo, aliarum adhuc ecclesiarum ordinationibus occupato, siluam istam frementium bestiarum, et turbulentissimæ profunditatis oceanum, constantior, quam cum supra mare gradereris, ingrederis. Nec mundi Dominatimes Roinam, qui in Cayphæ domo expaueras sacerdotis ancillam. Numquid autem iudicio Pilati, aut sauitia, Iudæorum minor erat, vel in Claudio potestas, vel in Neronne crudelitas? Vncebat ergo materiam formidinis, vis amoris, nec æstimabas terrori cedendum, dum horum saluti consulis, quos susceperas alendos. Hunc ergo intrepidæ charitatis affectum iam tunc profecto concepimus, quando professio tui amoris in Dominum ternæ interrogationis est solidata mysterio. Nec aliud ab hac mentis tuæ intentione quæsitum est, quam vt pascendis, quem diligeres, ouibus cibum, quo ipse eras opimatus, impenderes. Augebant quoque fiduciam tuam tot signa miraculorum, tot dona charismatum, atque experientia virtutum. Iam populus, qui ex circumcisione crediderant, erudieras: iam Antiochenam ecclesiam, vbi primum christianæ nominis dignitas est orta, fundaueras. Iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam, legibus Euangelicæ prædicationis impleueras: nec aut dubius de proœctu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis, trophæū crucis Christi Romanis arcibus inferebas. Atque hæc quidem Pontifex Leo sanctissimus: qui eloquentię, ac doctrinæ opibus circumfluens, copiosius ac luculentius, quam ego explicare vlo modo possum, dixit, vel potius ob oculos

ob oculos posuit apostolicos illos beatissimi Petri labores, pro euangelij propagatione cum alibi multis locis, tum Romæ præsertim suscepitos: vnde, tamquam e capite, in omnes terrarum partes longe lateq. disseminanda erat christiana religio. Ex quibus sane laboribus, crucis trophæo illustratis, longe amplissimam gratię, dignitatis, splendoris, et gloriæ, excellentiā in ipsam urbem redundasse, nemo plane est, quin intelligat. Immo vero vñus omnium sensus est, vnaq. consensio, illam apostolicis vigilis ac studijs diuina euangelij luce perfusam, atque illustratam, fideiq. firmamento munitam, vsque adeo omnibus amplificationibus esse auctā, vt nihil ferme possit accedere ad eius cumulū. Opes enim, quas consecuta est, diuinæ illæ quidem sunt, ac sempiternæ, quæ alio loco pluribus scribētur. Et vero, si olim multis aucta victorijs, idem Leo inquit, ius imperij terra mariq. protulit: longe tamen minus est, quod ei bellicis laboribus in ditionem subiunctū est, quam sane illud, quod pax christiana eidē peperit, atque adiūxit. Imperij Romani limites certi iam præstituti sunt: at nullus progrediendi terminus, in propagatione euangelij, quæ ex Ecclesia Romana in omnem est partem olim deriuata. Id sigillatim recēdere, longum esset nimis: hoc plane cum significatū sit illis prophetæ verbis: In omnem terram exiuit sonus eorū: tum plane declarant, qui cumque Apostolorum Petri et Pauli itinera scribūt. Sunt præfecturæ, sunt coloniæ, sunt municipia, sunt prouinciae, quæ Imperio Romano subiectæ illius iure regebantur: illæq. ipsæ, Christi fidē amplexæ, apostolicis legibus paruerunt. At plane innumeræ gentes, et nationes, ab illius ditione auersæ, ad capescendā clarissimā ecclesiæ catholicæ disciplinā, quotidie magis atque magis vbiq. apostolicis

prædicationibus collucentem, accesserunt. Id omne, quod ex Theodoriti libris paulo ante narratum est, facile intelligi potest. Verum alia etiam beneficia, et munera sunt, quæ beati Petri meritis vrbs accepit. Nolo iam hoc loco enarrare vastitates, quas ipsi vrbi, eius terris, agris teterimi hostes in tanta afflictissimorum temporum varietate, ferro, flamma, incendio inferre conati sunt. At inuicto vallata præsidio beatissimi Petri, ab omni discrimine in columnis permansit. Sæpe autem a seditionibus, dissidijs domesticis, bellis intestinis insidiosis, et illis quidem aliquando post hominum memoriam crudelissimis, cuius tandem ope liberata est? Apostolico patrocinio cælesti. Passim labuntur gentes, concidunt nationes, in tenebrasq. ruunt regiones et regna: at diuinitus Roma in luce versatur, apostolico munita firmamento. Ab omni gloria illa felix, opibus beata, et donorum etiam cælestium vertute, copijsq. florens est: id omne a Dei benignitate est, precibus ac meritis Apostolicis. Nullum denique ornamentum, nullum publicum commodum, nihil aliquo dignitatis splendore insigne, in florentissimo illius statu apparet, quod diuinitus apostolico beneficio non extet. Beatis igitur Apostolis, Petro et Paulo, Sixtvs Qvintvs, pietate, religione, rationibusq. præclaris adductus, columnas, tamquam insignia beneficiorum monumenta, quæ vrbs ab illis accepit, iure optimo dedicari voluit. Est Roma profecto quidem mirabilis, magnitudine, antiquitate, pulchritudine, multitudine, imperij amplitudine, diuitiarum copijs, rerum domi forisq. gestarum gloria: at ego, inquit, ille, aureum orationis flumen fundens Chrysostomus, eam admiror non propter vim, copiamq. auri, non pro-

propter immensa illa ædificia, theatra, amphitheatra, orchestras, mausolæa, thermas, pontes, circos maximos, agonales, aquæductus, neque propter columnas, neque propter vllam præterea aliam rem, sed propter illas columnas Ecclesiæ Petrum, et Paulum: quorum gloria & laudibus facta est illa certe insignior, quam rebus alijs omnibus: et, tamquam corpus magnum habet duos oculos illustres, nempe horum duorum sanctorum Apostolorum corpora. Non ita cælum splendescit, cum sol radios emittit, vt vrbs Roma, vbique terrarum illa duo lumina effundens. Quare maximis in beneficijs, quæ Sixtvs Qvintvs Pontifex benignitate præstans, quotidie Romam ornat, atque auget, hoc etiam ponendum est, quod multis etiam nominibus maxime illustre videtur. Vnde enim vrbs admirabilitatem excitat sui, eos non subter esse voluit, sed supra excelsas columnas. Quam in significationem de beato Petro illud quadrat, quod in Deuteronomio scriptum est: Constituit te Dominus in caput, et eris semper super, et non subter. Princeps ergo Apostolorum, de Ecclesia catholica Romana diuine egrieq. meritus, vt mox dixi, Petrus Apostolus est: cuius sacra effigies constituitur a Pontifice, et a Sixto Qvinto Pontifice, supra summam columnam, columnam autem non cuiuscumque, sed Traiani Augusti Cæsaris, neque quoquis loco, sed in foro eiusdem, quod amplitudine, ornatuq. in florenti imperij statu celeberrimum fuit. Pie, religiose, sapienter, recteq. factum optimo cuique videtur, pontifici gloriosum, Clero populoq. Romano gratissimum, exteris nationibus iucundissimum, aspectu augustinissimum, pietatis officio religiose debitum summo Apostolo: eamq. ob rem ad omnem memoriam insigne, nulla vñquam

vnquam ætas de eo conticescet. Erit enim, atque adeo est  
commemorandum multis causis, quas proxime summa-  
tim breuiq. dixi. Sextus hoc opus fecit, nempe is ponti-  
fex, qui virtute, iustitia, æquitate, integritate, rerum diu-  
narum, et humanarum scientia, eruditione, sapientia,  
vsuq. præstans, pius, religiosus, sanctus, in omnes beni-  
gnus, erga Rōmam beneficentissimus usque adeo fuit, ut  
nemo multis iam annis pontificum, aliqua bene gestæ  
ecclesiæ laude insignium sit, cuius maiora, et præclariora  
in publicum vrbis ornamentum, decus, commodum,  
utilitatemq. extent officia, ac monumēta. Ad opus autem,  
quod impense curauit, constanterq. magna cum pij gra-  
tissimiq. animi testificatione absoluit, Columnam Traia-  
ni delegit. Est ea columna, cochlidis structura, pario lapi-  
de incrusted, omni artificio opere, et rerum a Traiano  
gestarum imaginibus quam ornatissima, ijs præsertim,  
quibus bellum Dacicum exprimitur. Apparent in ea, at-  
que eminent formæ egregiæ munitionum, propugnacu-  
lorum, pontium, nauium, ac reliquæ militaris supellecti-  
lis, bellicorumq. instrumentorum, quibus bellum confe-  
cit. Varia etiam opera extant expressa militum, ædifican-  
tiū, lignantium, castra metantium, fossas agentium,  
equos adaquantium, trophæa ferentium: species item,  
formæq. thoracum, galearum, clypeorum, scutorum, zo-  
narum, litorum, pugionum, pilorum, gladiorum, phare-  
trarum, aliorumq. armorum. Miro igitur artificio cælata,  
mirabilem præ se fert aspectum sui. Altitudine extat pal-  
morum centum et sexaginta octo: cui altitudini SIXTVS  
QVINTVS accessionem fieri voluit palmarum nouem,  
quibus et ipsi columnæ apex, et beati Petri statuæ basis  
decore adderetur: habet intus centum et octuaginta  
quinque

quinque gradus, quibus ad summum fastigium ascen-  
ditur: fenestras quadraginta, quibus lumen excipit: et  
vero olim habuit in excelso culmine pilam auratam,  
in qua reconditi erant cineres Traiani. En mirandum co-  
lumnæ opus, adhæc usque tempora diuinitus reseruatum,  
in quo summo SIXTVS QVINTVS post tot ætatum sæcla,  
sacram beati Petri effigiem eximiam collocaret. Est porro  
hæc ipsa effigies ænea: ex æris pondo constans tredecim  
millibus et quingentis: alta palmis decem et octo, ac di-  
midio. Habet in manu dextera claves, in sinistra librum:  
hic cælestem doctrinam, quam Apostolorum princeps  
prædicauit, canonicasq. epistolas, quas scripsit: illæ po-  
testatem summam, sibi diuinitus traditam, ostendunt. Res  
igitur plena mysterij. Sed iam est, cur spectetur forum, ubi  
columna extat, quod miræ industria laude fuit olim ex-  
structum. Traiani iussu Apollodorus nobilis architectus  
illud, intra Nervæ fori, Capitolij, et collis Quirinalis fines  
ædificauit, atque exornauit mirifice. Erat fori tectum  
æneum: sub quo intus equorum simulachra, et signa mili-  
taria aurata, ordine disposita, vnde cernebantur: effi-  
gies item collocatae eorum, qui bene de republica meriti  
essent. Eius ornatus, omnium splendidissimus, fuit arcus  
triumphalis, aliaq. multa, ad Traiani laudes insignia. Eius  
autem porticus, amplissimis excelsisq. columnis, ac ma-  
gnis epistylijs imposita, vix dici potest, quantâ spectanti-  
bus excitaret admirationem: eoq. maiorem, quod sum-  
morum virorum statuas, opere artificio pulcherrimas,  
Alexander Seuerus illuc transtulit ob gloriam Traiani:  
cuius item equus præaltus, columnis impositus, in media  
portico extabat: at in medio foro columna cochlidis,  
quam mox adumbraui. Sed quod præterire non libet,

cum ad rei christianæ vel propagandæ, vel exornandæ significationem pertineat, fuit in eodem foro editū aliquando propositum, quo christianos pœnarum crudelitate liberari, atque eximi iussum est, eorumq. delatores in ignem viuos conijci: illud vero in primis cautum, ut religionis nomine ne in ius vocarentur. Iam apparet fori illius species, et forma: quæ aspectu iam nunc longe pulcherrima est, cum oculis pia populi christiani veneratione cernatur, non Traiani simulachrum inane, fusile, impuræq. superstitionis signum, sed sacra beatissimi Petri effigies, solida veraq. imago apostolicæ pietatis, exemplar catholicæ fidei, ac lumen diuinarum virtutum. Non triumphalis arcus Traiani extat, qui armorum vi paucas nationes superauit: sed Petri, qui nationes longe plurimas, peneq. totum orbem euangelij pace Christo Domino adiunxit: non arcus Traiani, qui populos viatos nusquam adduxit, ut legibus Romanis viuerent: sed Petri, qui omnibus quibuscumque euangelij lumen attulit, etiam barbaris, auctor maximus fuit, ut euangelij præcepta institutaq. exequerentur. Non denique arcus Traiani, qui ab iniunctis Christianæ fidei heroibus, ac propugnatoribus, sæpenumero vietus est. An non de eo viatorialem tulerunt fortissimi duces Ecclesiæ Dei, Clemens, Anacletus, Evaristus, summi Pontifices? an non Ignatius sanctus, Antiochiæ Episcopus? an non Romæ item via salaria ducenti sexaginta duo martyres? an non via Tiburtina septem fratres? an non Rauennæ, Valentinus, Vitalis, Agricola? an non vbique terrarum, cum nostros oppugnauit? At Petrus beatissimus, isq. summus rei omnis christianæ antesignanus, non modo vñquam superatus non est, sed vbique hostium immanium viator, præser-

tim Herodis Hierosolymæ, Romæq. Simonis Magi, et Neronis: de quo demum triumphum tulit, in quo gloriosissime triumphat ecclesia sancta Dei. Iure igitur ei debetur Columna, eaq. maxime in ipso Traiani foro: vbi non alijs, nisi summis viris, de republica optimie meritis, ob egregia facta ponebatur effigies. Nemo, vt alias dixi ex Chrysostomi sententia, maior Petro: cuius pugnæ, diuinationes, et actiones, amplæ illæ quidem sunt, diuinæ, atque immortales. Sed est præterea, cur principis Ecclesiæ statua eodem in foro constituantur, vbi de christianis non temere accusandis, neque acerbe puniendis edito, quod iam dixi, publice promulgato, tum primum cœptum est, quasi sustolli signum spei victoriæ christianæ. Næ ego quidem possum alias multas afferre, huiusc rei non contemendas rationes, sed iam locus est dicendi de Traiano. Is, homo Hispanus, Italicæ natus, a Nerua, ex senatus, populiq. Romani voluntate, imperator electus, imperij gubernacula tenuit egregia cum laude maximarum virtutum. Etsi vero aliquando christianos oppugnauit: id fecisse putatur senatus impulsu; cum timeret, ne eorum multitudo vim inferret imperio. Sed, vt plerisque placet, oppugnationis huiusc dolore affectus, mutato consilio, aliquid remisit de seueritate edictorum. Fuit autem ijs moribus, ut omnibus æqualem se præbuerit, neminem læserit, hostibus benignitatem, ac benevolètiam nauauerit, bonos honoribus ornarit, pauperes aluerit, ciuitatibus, in opia laborantibus, ius immunitatū tribuerit, nihil denique vñquam in omni vita gesserit; ac ne cogitarit quidem, quod ad publicam omnium utilitatem non redudaret. Ijs igitur ornamenti excultus, optimos principes non modo imperij propagatione, re-

rumq. gestarum laude, sed vitæ probitate, omniq. virtute longe superauit, ita vero vt vsque ad Iustiniani tempora, cum Imperator crearetur, sit semper acclamatum: Augusto felicior, Traiano melior. Neque est, cur hoc loco narrem, quod a Damasceno scriptum est, atque a sancto Thoma etiam probatum, consentientibus quoque multis theologiæ scientia præstantissimis viris, Traiani animam e gehennæ cruciatibus liberatâ esse precibus pontificis beatissimi, Gregorij Magni: id ego vtique relinquo iudicio sanctæ matris Ecclesiæ, cum qua nullo modo errare, sed vere sentire omnino possum. Illud sane tantum iam breui dicam, in tam magna tamque excellenti maximarum virtutum copia, quarum exempla clarissima in posterum Traianus Principibus ad imitationem reliquit, debere omnes multum Hispaniæ, quæ illum peperit: sed longe plurimum eidem eo nomine gratulari, quòd necessario hoc reip. Christianæ tempore Philippum habet Regem, Regemq. maximum, non solum regnorum multitudine, et amplitudine, rerumq. gestarum gloria, sed fidei catholicæ studio maxime accensum, pietatis, religiosis, optimarumq. rerum opibus circumfluentem, ac longe multis partibus eo superiorem: cum præsertim ille, a Christiana religione auersus, ecclesiam infensissime diuinxerit, hic vere christianus catholicusq. Rex pro illa acerrime terra mari dimicet ac prælietur summo regio conatu. Verum vt ad narrationem, vnde paululum digressus sum, redeam, illud diuine factum est, vt sacra beati Petri effigies cum in foro, tum supra columnam, et Traiani columnam potissimum collocaretur. Qua in re non obscura est, sed maxime etiam perspicua non solù impensa cura, sed sapiëtia summa Sixti V. Pont. Opt. Max. qui in consilio

eximio, ac diuino, quod tam multis, iustissimisq. rationibus illum suscepisse dixi, tum fori, et columnæ deletum, tum eius, cui illa olim erecta erat, rationem habuit, nempe Traiani, qui in Imperatorum Ethnicorum tenebris præluxit ceteris quodam bonitatis splendore. Re igitur ita præclara deliberata, et opere demum beati Petri imaginis confecto, Pontifex certum diem statuit, quo et columna dedicetur, et ipsa imago in illius fastigio constituantur. Is dies fuit i. v. Kalendas Decembris, nempe sabbatum: quo die de Simone Mago beatum Petrum visitoriam consecutum esse, libri rituales veteres loquuntur. Quàm apposite, quàm recte, atque ex ordine omnia Pontificis consilio? Itaque eo ipso die apparatis omnibus, quæ ad sollemnis actionis usum, atque ornatum adhibentur, columna, quam, tot ætatum sæclis prophanae pompe erectam, cinerumq. Traiani sepulchro impura superstitione addictam, ab omni impuritate sancte expiari oportuit, pijs religiosisq. precibus expiata, ex instituto ecclesiæ dedicatur, et effigies beati Petri Apostolorum principis, rite item benedicitur precatione solemnis: sicq; sacra sustollitur miro artificio in columnæ fastigium: in quo ita constituta est, tamquam Romæ custos, inde in Vaticanum spectet, vbi augustissima illius basilica cernitur. Est vero collocata, constitutaq. in regione Montium: quæ verbis regio multis partibus nobilis est, multis item ædificijs, in quibus proximæ sunt sacræ ædes beatæ Mariæ virginis, quam de Laureto dicunt. Sed ea est erga beatum Petrum pietas SIXTI QUINTI Pont. cultusq. singularis, vt loci ambitum, ac situm, vbi illius statuam collocari voluit, non solum amplificaturus sit, sed ornatus præclarissimis operibus. At vero demum vix narrari potest,

quām magnus ad solemnem celebritatem cleri, populiq; concursus, quām summa omnium lātitia, et gratulatio publica, non solum iucundissimo cunctorum, qui aderant, vultu, et verborum applausib; pījs significata, sed declarata etiam intime gaudentium lacrymis, et absentium demonstrata quoque sermonibus, qui publice, priuatimq; in regionibus, in vicis, in plateis, etiam in ipsis tabernis diuersorijs crebri sunt de eximio hoc, diuinoq;. **SIXTI QVINTI** pontificis opere: in cuius inspectione denique tota vrbs triumphat, et completa maximis tantū tamq; sacri spectaculi voluptatibus, omni gaudio redundans, præ hilaritate immensa gestire videtur. Idq; iure, ac meritissimo, cum ornamentum proprium habeat, excelsō loco collocatum, in quo splendescunt cetera omnia ornamenta, quæ iam cōmemoraui. Est hoc sane munus, ac donum **SIXTI QVINTI** Pontificis: est hoc plane decus Romæ perpetuum. Id, atque alia multa beneficia cum in ipsam vrbum, tum in Ecclesiam vniuersam ipse iam contulit: longe autem plura cogitat, meditatur ac parat. Quamobrem tum assidua oratione, tū alijs pietatis officijs illud a Deo precandum est, vt beneficentissimo Pontifici optimoq; vitæ diuturnitatem tribuat. Ita enim cuncti sperare possunt ac debent, vt, cum is ad optima quæque sit plane diuino spiritu inflammatu, non modo vrbs Roma collustretur luminibus ornatus sui: sed Ecclesiæ vniuersæ nanis, multos abhinc annos fluctibus agitata, eo diu gubernante, ad pristinæ tranquillitatis portum perueniat. Id a tanto Pontifice expectant boni omnes, cum duo in primis agat, quæ perficere contendit, vnum, vt optimus ille bene gerendæ ecclesiæ cursus omnis ad religiōrem sanctitatemq;

vitæ

vitæ dirigatur: alterum, vt Roma, a se sacris ædificijs, sacrisq; monumentis aucta, atque ornata, etiam possimum virtutum exemplis præluceat. Diuina hæc, atque immortalia **SIXTI QVINTI** Pontificis beneficia, quæ plurima non modo deinceps certa in spe omnium sunt, sed iam in præsenti, ob oculos posita, cernuntur, nemo quisquam est, quin suspiciat, atque admittetur: ac præterea qui virtute doctrinaq; pollut, neruos industriae suæ eò contendunt, vt illa, vno omnium ore laudata, digne ac merentur, preclarissima quaque scribendi ratione concelebrent. Nec vero ego pro ingenij mei tenuitate id facere vñquam desinam, cum hoc iam iam videam fore, vt posteri non modo recordatione sed aspectu ipso excitati, obstupescant tantarum illius rerum magnitudine. Illud interea Deum omnipotentem supplex continenter oro, vt beati Petri, Apostolorū principis, ad cuius honorem sacra effigies in Traiani columnapiere erecta est, precibus ac meritis, sanctam sedem Apostolicam, columen atque firmamentum veritatis, tueatur, et sanctissimum D.N. **SIXTVM QVINTVM** diutissime nobis saluum; et in columem conseruet ad vniuersæ Ecclesiæ incolumitatem et salutem.

L A V S . D E O.

F I N I S.

ORDO

# ORDO DEDICATIONIS

COLVMNÆ COCHLIDIS.

Traiani, Cæsaris Augusti

IN HONOREM SANCTI PETRI  
et benedictionis sollemnis

Imaginis æneæ eiusdem Apostolorum Principis  
in columnæ fastigio erectæ.

 **P**ISCOPVS, Missa sollemniter celebrata in ecclesia S. Mariae de Laureto, sita Romæ in regione Montium prope Traiani columnam, indutus Pluiali albo, stans ante altare sine mitra, inchoauit antiphonam sequentem :

Tu es Pastor ouium. Quam cantores prosequuti sunt usque in finem.

Inde inchoato per eosdem psalmo, Cæli enarrant, directa est processio ad columnam versus, ubi erat eiusdem beati Petri statua ænea. Quo cum peruentum est, Episcopus stans absque mitra, conuersus ad imaginem, & habens ante se crucem, dixit versiculos, & orationem, ut in Pontificali de benedictione nouarum imaginum, Omnipotens sempiterne Deus, qui sanctorum tuorum effigies, &c.

Qua oratione absoluta, aspergit imaginem aqua benedicta, deinde thure adoleuit: postea sine mitra processit ad columnam, que prius Paganorum usui addicta erat, exorcizandam hoc ordine.

Primo deponit mitram, tum incœpit antiphonam sequentem :

Cadent a latere tuo mille :

Quam cantores sunt prosecuti: eaq. completa, inchoarunt psalmum, Qui habitat &c.

Quo finito, & repetita antiphona, Episcopus stans cum mitra prope columnam, insufflavit eam ter dicens :

Exsufflo te, omnis legio sathanæ, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Deinde.

Exorcizo te creatura lapidis: in nomine Dei & Patris omnipotentis, et in nomine Iesu & Christi filij eius Domini nostri, et in virtute Spiritus & sancti, ut fias columna exorcizata ad sustinendam sacram imaginem beati Petri Apostolorum Principis, careasq. omni gentilitatis immunditia, omniq. impugnationis spiritualis nequitia. Per eudem Dominum nostrum,

Iesum

Iesum Christum, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, sæculum per ignem. Rx. Amen.

Deinde deposita mitra dicit :

V. Domine exaudi orationem meam

Rx. Et clamor meus ad te veniat

V. Dominus vobiscum

Rx. Et cum spiritu tuo

Oremus

Domine Iesu Christe, fili Dei viui, qui es lapis angularis de monte sine manibus excisus, lapides huius columnæ, in honorem sacræ imaginis beati Petri Apostolorum Principis deputatae, ab omni inquinamento purifica, purificatosq. conserua. Qui cum Deo patre, et Spiritu sancto viuis, et regnas in sæcula seculorum. Amen.

Deinde, accepta mitra, aspersit ter cum hysope columnam circum circa, primo & secundo a dextera eius, tertio a sinistra, aspergens primo partem superiorem, mox inferiorem, tertio medium: tum demum in singulis eius lateribus cultro fecit signum crucis, dicens :

In nomine Patris & et filij & et spiritus & sancti.

Quo factō, iterum deposita mitra, dicit orationem sequentem :

Supplices tibi, Domine, preces effundimus, ut columnæ huius materiam, Paganorum usui olim addictam, tuæ benedictionis, & sanctificationis vertate dotari præcipias. Per Christum Dominum nostrum. Rx. Amen.

Deinde cantores canunt hymnum: Iam bone Pastor Petre. Quo finito Episcopus adhuc stans, deposita mitra, cantat versiculos sequentes.

V. Constituit te Dominus in caput, et eris semper supra.

Rx. Ita erit, ita fiat, sic te Domine rogamus.

V. Princeps fratrum, firmamentum gentis, stabilimentum Populi.

Rx. Ita credimus, ita speramus.

V. Felix Roma, quæ Apostolorum Principis Petri purpurata es pretioso sanguine.

Rx. Ita est, sic credimus: ideo gratias agamus Deo.

V. Principem te constituit Dominus, et claves regni cælorum tradidit tibi.

Rx. Hoc fatemur, idem confiteantur omnes populi.

V. Surge Petre, indu te vestimentis, & accipe fortitudinem.

Rx. Ad saluandas gentes in misericordia.

V. Tu es

- ¶. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam,  
 Rx. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.  
 ¶. Domine exaudi orationem meam.  
 Rx. Et clamor meus ad te veniat.  
 ¶. Dominus vobiscum,  
 Rx. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio I.*

**D**eus, qui beato Petro Apostolo tuo collatis clauibus regni cœlestis animas ligandi, atque soluendi Pontificium tradidisti: concede, ut intercessionis eius auxilio, a peccatorum nostrorum nexibus liberemur.

*Oratio I. I.*

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui beato Petro, Apostolo tuo, victoriam de Simone mago tribuisti, tantaq. eum virtute roboraſti, ut umbra sanaret infirmos, verbo fuscitaret mortuos, aspectu, culpæ obnoxios mori cogeret, spiritusq. immundos ubique ejiceret: concede, quæſumus, ut illius quoque patrocinio, ecclesia catholica perpetuo defensa, hostes supereret nominis tui, atque iniuncta ſemper custodiatur.

*Oratio I. I. I.*

**P**ræsta quæſumus omnipotēs Deus, ut ſicut per ſacram beatitudini Petri ſedem, diſolutis terrenæ sapientiæ vanitatibus, eiectisq. dæmonum cultibus, urbem hanc caput orbis effici, ac latius tua religione, quam dominatione terrena præſidere voluſti: ita nullis eam permittas perturbationibus concurti, quam in apostolica confessionis petra ſolidasti. Per Christum Dominum nostrum. Rx. Amen.

*Deinde thurificata ter imagine. Epifopus intonat hymnum. Te Deum laudamus. Quem Cantores prosequuti ſunt. Et accepta mira reuerſus est ad ecclesiam eodem ordine: ubi hymno finito, & per duos cantores cantato ¶. Saluos fac feruos tuos, et Rx. Domine Deus ſperantes in te, cantauit ante Altare Orationem, ut infra:*

Ecclesiæ tuae quæſumus Domine. Et duo cantores finita dicta oratione dixerunt.

¶. Exaudiat nos Dominus.

Rx. Et cuſtodiat nos ſemper

Demum ſunt publicatae Indulgentiae. 25. annorum per Diaconum ſicq. re ſollemniter peracta, omnes recesserunt in pace.